



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2188. Barnim und Wartizlaw, Herzöge von Pommern, Stettin und von
Pommern-Demmin, bestätigen dem Kloster Broda die diesem von ihren
Vorfahren verliehenen Besitzungen, am 27. Mai 1244.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

2188. Barnim und Wartizlav, Herzöge von Pommern, Stettin und von Pommern-Demmin, bestätigen dem Kloster Broda die diesem von ihren Vorfahren verliehenen Besitzungen, am 27. Mai 1244.

In nomine et uirtute sancte et indiuidue trinitatis. Barnim, dei gracia dux de Stetin, et Wartizlaus eadem gracia dux de Dimin, omnibus in perpetuum. Quoniam ex tempore dilabente dilabitur etiam humana memoria, et temporis processus quandoque rerum et causarum generat oblivionem et mutabilitatem, illustrium principum legitimas donationes, acciones sive confirmationes ecclesiis datas sive confirmatas necesse est eo discretionis temperamento roborari, ne per duplicitatis scrupulum vel dubietatis emolumentum valeant capciosis rationibus immutari vel infringi. Inde est quod notum esse volumus tam presentibus, quam futuris fidelibus, quod omnia bona, que auus noster venerande recordationis, dominus Kazimarus, fundator ecclesie S. Marie perpetue uirginis S. Petri apostolorum principis in Brode, sed et bone memorie ejus successores, nostri progenitores, pro sua devotione contulerunt, secundum quod privilegia eorum continent, cum iuris integritate sine omnia (omni?) advocatia et seculari exactione, que ad nos pertinere possent, libertando et renovando confirmamus. Sunt autem hec bona videlicet Brode cum foro, taberna et omnibus attinenciis suis, similiter et hec uille, Womtin, Caminitza, Wogartzmov, Silubmu, Calube usque in fluvium Prituzintza, Patzutin, Wolcacin, Crukow, Michnin'ov, Pancirin, Vilim jtem Vilim Carlitze, Sirize, Woztrov, castrum cum uilla in radur, Podulinov, Tribmov, wigon, Cuffuvo, Tuardulmo, Dobre, Step, Rouene, Prilbiz, Nicacowo, Malke, Cammov, Lang, Ribki, Itzapple, Nimirow, Malcov, Staregart, Lipetz, cum omnibus uillis, usque ad stagnum Woblesku et sursum haelam, usque Chotibanz, et desertas uillas, que a Vilin, inter fines Chotibanz, Lipitz et haelam jacent. Data est etiam eis salina, que est Colchele, cum omni utilitate, que per laboris industriam futuro tempore fieri potuerit ibidem ex sale. Has uillas et hec omnia supra nominata, cum omnibus, que ad uillas pertinent, hoc est, areis, edificiis, mancipiis, terris cultis et incultis, pascuis, pratis, campis, exitibus et redditibus, siluis, uenationibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis piscationibus, uis et inuis, quefitis et inquirendis, cum omnibus, que ullo modo dici aut nominari possunt, ad prefatam ecclesiam tam integre et rationabiliter confirmamus, tam absolute iterato donamus, ut prepositus ejusdem ecclesie cum fratrum suorum voluntate libera potiatur facultate ac libertate, et omnes in eodem loco ejusdem professionis ei succedentes, hec omnia pro libitu suo disponendi et ad utilitatem ejusdem modis omnibus convertendi. Concedimus quoque omnibus hominibus nostris, ut si quis ex eis diuina monitus inspiratione aliquid de bonis, que a nobis possidet, predictis fratribus conferre uoluerit, aut quicquid ipsi pretio comparauerint, liberam habeat licentiam hoc faciendi, et ipsi fratres liberam nihilominus habeant licentiam, facultatem recipiendi, et in usus proprios ea libertate, qua cetera donata sunt, convertendi. Absoluti etiam sunt prenominati fratres nostri et ho-

mines ipsorum, tam flavi quam teutonici, ab omni exactione telonei et vngelt per totam terram nostram, tam in terra quam in aqua, in foro videlicet, in pontibus, urbibus et navibus. Precipimus etiam quod preceptum est similiter omnibus sub culmine nostre potestatis degentibus, ut solerti custodia studeant observare, ne ab ullo pestilente quolibet dampno, five clam five palam illato familiariter nobis dilecti hujus ecclesie Canonici vexentur, quia reus, si detectus fuerit, capitali sententie subiacebit. Privilegium quoque fundatoris ecclesie cum sigillo appenso secundum supra dicta vidisse et audivisse scriptis et sigillis confirmando protestamur. Testes vero huius sunt dominus Conradus, caminenfis prepositus, dominus Nicolaus, abbas dargunensis, dominus Henricus pozwolcensis prepositus, Petrus havelbergensis Canonicus, Lambertus Notarius domini Barnim, Eggelbertus de Cobandin et Ecbertus frater suus, Sacerdotes; Comes Guncelinus de Swerin, Comes Henricus de scouwenburg, dominus Thedleuus de Godebuz, Johannes turiggus, et Bertoldus frater suus, Johannes de Walflene et frater suus albertus de insleue, Liborius de Duchou, Nicolaus de brelin, milites et alii quam plures clerici et laici Cristi fideles. Datum Dimin, anno domini M^oCC^oXL^o quarto, VI^o Kal. Junii friderico imperatore regnante Amen.

Nach dem Havelberger Copialbuche des Geh. Staats Archives fol. 8.

2189. Abtretung des Schlosses Schiedlo und des Landes Grossen von Polen an Meissen, vom 20. April 1249.

Nos Henricus, dei Gratia dux Polonie, recognoscimus et tenore presentium publice protestamur, quod cum Henrico, marchione Misnensi, concordavimus in hunc modum, quod nobis contra fratrem nostrum astabit et numquam concordabit cum ipso, nisi hoc fuerit de nostra conscientia et etiam voluntate et nec nos hoc sine sua voluntate aliquatenus faciemus. Si autem inter nos et fratrem nostrum secundum consilium hominum suorum et nostrorum concordiam poterit ordinare, in hoc nos suam sequemur per omnia voluntatem, et si non possit nos per amicitiam aliquatenus concordare, nos juvabit, ut terram fratris nostri recuperare possimus, qua recuperata ipsi marchioni presentabimus Croznam civitatem et castrum et terram ad Croznam pertinentem, uel totam terram inter Quiffum et Pobram usque ad silvam, que est inter Lewinberch et Nuenburc super Quiffum, que silva protenditur usque ad montes Boemie, et hoc in optione sua existet, quam ex his duabus terris eligere affectabit. Promissimus insuper marchioni eidem, quod centum et quinquaginta marcas auri vel in estimatione tantum argenti Misnensis ponderis sibi solvemus, medietatem in Octava Pentecostes et aliam medietatem in festo Johannis baptiste. Idcirco idem nobis promisit, quod singulis annis cum expeditione sua terram semel intrabit personaliter fratris nostri, secundum quod nobis et eidem videbitur expedire, nisi legitima causa ipsum ex-